[illegible]

philologo celeberrimo

DE LIVII LIBRO XXI EMENDANDO

SCRIPSIT

F. GUSTAFSSON



HELSINGFORSIAE
MDCCCXC

Commentationes variae in memoriam actorum CCL annorum edidit
Universitas Helsingforsiensis

DE LIVII LIBRO XXI EMENDANDO

SCRIPSIT

F. GUSTAFSSON



HELSINGFORSIAE
MDCCCXC

HELSINGFORS,
J. C. Frenckell & Son, 1890.

VNIVERSITATI FINLANDIAE

POST VARIOS CCL ANNORVM CASVS
INCOLVMI AVCTAE VIGENTI

D. D.

AVCTOR

VERVM TV COLITO — SOLVS VERVM IMPIVS ODIT —
SIC ACADEMIA ERIS TV COLVMEN PATRIAE.
REGNA RVVNT PEREVNT REGES: VERI DEVS ALTVS
QVOD STATVIT FRVSTRA DISICIVNT HOMINES.

In VNIVERSITATE HELSINGFORSIENSI abhinc annis duodecim defendi tirocinium de primo Ciceronis de finibus libro conscriptum, in quo inter alia id agebam, ut illius operis archetypum omissis vocabulis minime laborare demonstrarem. tum enim mihi persuaseram ex varia librariorum indole cognita aliquid posse ad emendandos veteres libros auxilii sumi, praesertim cum non de singulis voculis, litteris, lineis in plurimis eiusdem aetatis codicibus similiter fere mutatis quaereretur — cuius modi vitiis enumeratis nunc scatent editiones criticae — sed quanta in gravioribus rebus neglegentia, quo corruptionis genere et quasi more in ipsis archetypis peccatum esset, quam accuratissime exponeretur. neque alia has adnotatiunculas scribentis fuit de universa re sententia.

Itaque pauca — plura enim proferre multa vetant — dicam de additamentis, quae in Livii libro XXI ante me vix unum, vel dicam neminem fugerunt interpretem. ita fundamento quodam disputationis iacto nonnullos eius libri locos commentis librariorum purgare conabor hisque alios quacumque ratione potero sanatos admiscebo.

Madvigius in Emendationibus suis Livianis, quarum famae nihil mea laude addi potest, nonnulla enumeravit additamenta

librariorum; nec multa et simplicia esse dixit. hoc ut concedam, illud in dubium vocandum existimo, in XXI praesertim libro, ubi librarii novam operis partem inchoantis licentia quasi integris viribus usa videatur. qua re summo illi philologo Gronowium, quod aliquanto plura in codicibus Livianis suspecta habeat, irridenti non adsentior. et de iis, quos infra emendare in animo est, locis praemoneo, si quid audacter ex codicibus exclusisse videbor, confirmari coniecturam tanta additamentorum minime dubiorum multitudine, quantam in libro XXI re vera inesse ex hoc quem apponam conspectu elucet. singulis locis, quos enumerabo, si nihil adnotatum est, inter omnes constat verbum a me adlatum in codicibus falso additum esse.

Liv. XXI 2,6 *quidam* perperam additur C[1], *qui* M[1] — notis utor Luchsii, qui ut recentissime, ita optime hanc Livii partem edidit —; dittographia est.

10,1 *non* addunt CM[1].

10,3 *Hannonis suadentis.*

11,2 *iniuste facere* ex sequentibus add. C[1].

13,8 *rebus* auctore Woelfflino hodie recte expungunt editores.

19,9 *Saguntini* delevit Madvigius, sequuntur ceteri.

22,1 *haud* ante *minus* ex antecedentibus.

22,2 *eum, cum.*

22,4 *ad* post *data.*

22,5 *maritimam oram* delere voluit Hertz, alii; ex antecedentibus irrepsit.

25,5 *incertum.*

25,11 *in* (pacientia), C (M).

25,11 *cum.*

26,6 *amnis* delet Hearne et alii, retinet Luchs.

27,6 *tranavere,* C[1] ex antecedentibus.

27,7 *ex [lo] composito,* recte sine dubio Fuegner et Schmidt.

28,5 *nantem* omnes fere improbant.

28,8 *ut* ante *cum* (quamvis ingeniose Harant: VI).

Minoris nonnulla horum sunt momenti, ut quae sequuntur:

29,5 *hospiciis, hospitis* pro *hostis.*

30,2 *terrase, terras eas* pro *terrae.*

30,5 *in* ante *itineris* additum (contra 30,7 *in* praefixo caret *exsuperabiles*).

30,5 *militibus* pro *milibus.*

30,11 *victa ea aut* pro *victae aut.*

31,4 *in* ante *mediis* additum.

31,5 *inferior tumi* pro *inferiorum.*

Similia sunt et, cum uno in capite reperiantur, notanda:

32,7 *altitudine, altitudo est* pro *altitudo.*

32,7 *nives aquae (aeque)* pro *nivesque.*

32,7 *inanimaliaque,* Valla *inanimaque.*

32,10 *ex ea* pro *ex.*

Quod vero in eodem capite (32,7) delevit Madvigius *vero,* quamvis molestum, tollere non ausim, multo etiam minus in *fere* mutare.

Post hunc fere locum, quamquam praeter morem in initio libri observatum omissa non ita pauca sunt, ut 34,3 *ratus,* multo tamen plura falso adduntur, ut

33,5 *ab* ante *iniquitate,* de quo omnem dubitationem sustulit Fuegner (Neue philologische Rundschau, 1888, pag. 217).

35,2 *aut.*

35,3 *praecedebant* pro *praebebant.*

35,11 *ut.*

35,12 *adflictis* pro *adfixi.*

36,1 *rectis ac si istud* pro *rectis saxis ut.*
36,2 *impeditus dum ille* pro *in pedum mille.*
36,8 *tamen.*
37,2 *venti saepte, venti saepta, venti se apta* pro *venti apta.*
38,5 *Taurinis ne Galli* pro *Taurini Galli,* unde *Taurini Hannibali* certe non efficiendum est; ut summum *Taurini inde Galli* tentandum videtur.
39,1 *gentis* certe expungendum est.
39,2 *erat.*
40,7 *qui plures paene perierint quam supersint.*
41,4 *non poteram* aut certe aliquid perperam additum.
41,4 *erat.*
41,9 *qui.*
43,4 *Padus.*

haec omnia plurimi iam editores expungunt.

44,6 *ad Hiberum est Saguntum* paucissimi retinendum aut corrigendum censent.
50,3 *minus.*
50,9 *ut* ante *quo.*
52,7 *ob (utilia).*

haec nemo tulit editorum.

52,2 *uno* Gronowio suspectum aegre defenditur.
54,4 *Magoni* Sauppe, Luchs, alii nolunt.
55,10 *in* ante *tot* et
63,14 *in* ante *omen* sustulit Madvigius.

In tanta turba additamentorum certa quaedam genera facile discernuntur, ut nomina propria addita, 19,9 *Saguntini;* 43,4 *Padus;* 54,4 *Magoni;*

haud secus 31,9 *Hannibal* adiectum videbimus.

Interpretamenta non desunt aut singulorum verborum, ut 25,5 *incertum;* 28,5 *nantem;* aut complurium, ut 22,5 *maritimam oram;* 44,6 *ad Hiberum est Saguntum;* nec glossemata, quibus amplificantur verba ipsius auctoris, ut 13,8 *rebus;* 22,2 *eum;* 33,5 *ab;* (52,2 *uno*);

eidem interpretandi vel amplificandi studio debita infra exponam 5,3 *iungendoque* et 11,3 *stimulando.*

Quo in genere etiam graviora peccata reprehenduntur, ut 10,3 *Hannonis suadentis;* 40,7 *qui plures paene perierint quam supersint;*

similia prodentur 10,2 *cum adsensu audientium;* 40,10 *nec umquam vos;* 43,9 *facere et.*

Partes glossematum videntur esse quae adnotata sunt ad 22,4 *ad;* 50,3 *minus;*

his post adiungam 59,7 *magis.*

Alia prave intellexit, neglegentissime interpretatus est librarius, ut 10,1 *non;* 25,11 *inpacientia;* 25,11 *cum;* 39,2 *erat;*

cfr infra quae dicam de 3,1 *quin;* 20,4 *censere;* 27,5 *virique.*

Huc fortasse referendum est *que* saepius perperam additum, cuius exempla cum iam Madvigius contulerit quaedam, ex hoc libro comparandum est: 52,8 *primos[que]* P; (46,3 *ex [quo]* P);

eadem ratione scribendum est **42,3** *et cuius,* pro *et cuiusque,* quod est in P, et **56,1** *quo[que] novus,* quibus locis verum vidit Frigell; nec **60,4** addendum puto *iustitiae,* sed *que* delendum;

infra dicetur de 8,9 *armaque;* 10,9 *hominesque;* 50,7 *ornatamque.*

Permultis locis plures quam oportuit et falsas voculas litterasque adscripserunt librarii, ex quibus cum veris coniunctis verba prorsus inepta finxerunt, ut vel propter illius vitii exempla quam

plurima et certissima recidendo saepius quam addendo vicesimus primus Livii liber emendandus esse videatur.

In omni hac quaestione magno cum fructu, si adessent, uteremur adnotationibus glossematum, quae in multis antiquorum auctorum codicibus, vetustis quoque, variis modis adscripta inveniuntur, nec operam perditurus esse videtur si quis librariorum interpretamenta addentium consuetudinem rationemque accuratius cognoscendam fusiusque exponendam susceperit.

Nos vero iam ad singulos Livii locos tractandos transimus.

Liv. XXI 3,1. In Hasdrubalis locum haud dubia res fuit quin † praerogativa militaris, qua extemplo iuvenis Hannibal in praetorium delatus imperatorque ingenti omnium clamore atque adsensu appellatus erat, favor plebis sequebatur.

Ita locum reliquit Luchs nec sine causa desperatum dixit. nam lacunam ubiubi esse putes, quibuscumque verbis explendam censeas, in re incerta nova et alia moliendi ratio restat. qua re contrariam viam si tento, voluntas certe vituperanda non est. atque summa quidem sententiae minime est obscura: certa et quasi absoluta res fuit ea quae penes milites erat in Hasdrubalis interfecti locum optio, quae populi scitum ut tempore, ita vi et auctoritate praecessit. qua quidem „militari praerogativa“ iam imperator appellatus erat Hannibal, sequebatur plebis favor. iam vero deleto *quin* haec ipsa quam explanavi evadit sententia:

in Hasdrubalis locum haud dubia res fuit praerogativa militaris. qua extemplo iuvenis Hannibal in praetorium delatus imperatorque ingenti omnium clamore atque adsensu appellatus

erat: favor plebis sequebatur. hunc vixdum puberem Hasdrubal litteris ad se accersierat et q. s.

in hoc verborum contextu minus dure sonant *in Hasdrubalis locum* cum ceteris coniuncta, et caput narrationis (*qua extemplo* etc.) magis fit perspicuum, et maiore vi *plebis* mentio inducitur. addita autem videtur *quin* particula ex glossa, quam ex 36,4 *haud dubia res visa quin* fortasse confinxit librarius; procedente longius corruptela in C[2] nata sunt *praerogativam militarem* et *sequeretur*.

XXI 5,8. quibus oppugnandis quia haud dubie Romana arma movebantur, in Olcadum prius fines — ultra Hiberum ea gens in parte magis quam in dicione Carthaginiensium erat — induxit exercitum, ut non petisse Saguntinos, sed rerum serie finitimis domitis gentibus iungendoque tractus ad id bellum videri posset.

Suspectum illud *iungendoque* vix tutatur Plin. ep. III 19,2 *praedia agris meis vicina atque etiam inserta venalia sunt; in his me multa sollicitant, aliqua nec minora deterrent; sollicitat primum ipsa pulchritudo iungendi*, quod quamvis in epistula multo aptius dicitur. et Cic. Att. VII 2 *turpitudo coniungendi cum tyranno,* et Tac. ann. VI 26 *Nerva abstinentiam cibi coniunxit,* quae contulit Luterbacher, quid sit iungendum apparet, in Livii loco non apparet. et qui regiones alienas suis adiungit, iam non trahitur ad bellum, sed consulto rem agit, certa ratione adductus. nihil ad rem est *vincendoque* Gronovii, a Madvigio haud improbatum. *iungenda,* quod est in Cantabrigiensi libro, ego in archetypo non dubito quin primum interpretandi gratia superscriptum sit verbis *rerum serie,* deinde in Livii verba transpositum irrepserit, tum in *iungendoque* correctum sit, unde postremo *iungendisque* in M[4] est factum. ita si scripseris:

ut non petisse Saguntinos, sed rerum serie, finitimis domitis gentibus, tractus ad id bellum videri posset, nihil quisquam amplius desiderabit.

XXI 5,6. vere primo in Vaccaeos promotum bellum. Hermandica et Arbocala, eorum urbes, vi captae. Arbocala et virtute et multitudine oppidanorum diu defensa. ab Hermandica et q. s.

Paulo ante cum Cartala, *urbs opulenta, caput gentis* Olcadum commemorata sit, legentem offendit *urbes,* et in codicibus, id quod multo gravius est, *cartaeorum* repertum est vel *castaeorum* (C) et *cartoerum, cartorum* (M), quae unde orta essent nemo explicavit. nonne de *castellis* cogitandum est? *castri* nominis quamquam prorsus sic positi non satis idoneum mihi est exemplum — conferenda tamen Callistrati verba (Digest. 27, 1, 17 § 7) *inquilini castrorum* et *qui in eodem castro sunt* ac notum illud Cornelii Nepotis *in Phrygia castrum* — non pudet referre quae ex codicibus videntur erui posse:

Hermandica et Arbocala, castra eorum, vi capta.

quae si ita scripta exstiterint, quis non peius corrupta esse miretur?

XXI 8,4. oppidani ad omnia tuenda atque obeunda multifariam distineri coepti sunt non sufficiebant.

Codicum vitia alii aliter reparant: ante *ad* ponunt *quod* vel *ut* vel *qui* — hoc quidem male —, ante *multifariam* alii *dum* aut *postquam* addunt. ego ante *multifariam* potius intercidisse existimo *quoniam,* quod et litterarum similitudine et sententia paulo melius commendatur, nisi forte haec vera est lectio —

dubiis enim in rebus duas nonnumquam proferre coniecturas a severis artis criticae praeceptis abhorrere non concesserim —:

oppidani ad omnia tuenda atque obeunda multifariam distineri *coacti* *non sufficiebant.*

neque enim iniuria recentioribus omnibus expungendum videtur *sunt,* et languet in fervida oratione *coepti* minime necessarium. nec tamen nego difficilius futurum fuisse librariis *coepti* quam *coacti* retinere.

XXI 8,9. itaque quo acrius et confertim magis utrimque pugnabant, eo plures vulnerabantur nullo inter arma corporaque vano intercidente telo.

In codicibus *oppugnabant, pugnabantur, pugnabatur* nata videntur sola addendi vel mutandi licentia; in sequentibus non dubito ex Pollei coniectura deleto *que* scribere *inter arta corpora.*

XXI 10,2. *Hanno unus adversus senatum causam foederis magno silentio propter auctoritatem suam [cum adsensu audientium] egit, per deos foederum arbitros ac testis senatum obtestans, ne Romanum cum Saguntino suscitarent bellum.*

Excluso manifesto, nisi prorsus fallor, glossemate omnia recte se habent [1]. nam post haec verba *unus adversus senatum* nihil efficitur variis corrigendi conatibus: *non cum adsensu audientium,* quod editoribus probavit Eichhoff — melius erat *nec cum adsensu audientium* —, *parum cum adsensu audientium, non adsensum* Lipsii, quod vix latinum est, et quae alia excogitaverunt pluribus verbis etiam minus veri similia. neque hoc ipso

---

[1] Idem iam video multo ante Grutero in mentem venisse.

loco indicium deest falsarii grassantis, *Hannonis suadentis,* quod post *testes* additum ab omnibus deprehensum et reiectum est — quo quidam adductus multo etiam plura delere voluit. quod in eodem capite, 10,6, M habet „res ex foedere repetuntur *de re repetuntur*“ potius excuses. nec 10,8 *sed Tarento, id est Italia, non abstinueramus ex foedere* Kiehlium sequi audeo, *id est Italia* excludentem, quam coniecturam ex Luchsii ádnotatione critica cognovi.

Contra 10,9 *vicerunt ergo dii hominesque* quid sibi voluerit Weissenborn multa moliens, ut *que* servaret, non video. nam licet sescentiens coniungantur *di hominesque* et *homines* Romani dicantur, hoc loco nec homines vicisse cuiusquam interest nec qui homines sint intellegitur. itaque Madvig, Woelfflin, Luchs, H. J. Mueller, omnino prudentissimus quisque hac in re codicibus non tam religiose obsequitur.

Paulo post 10,12 Luchsio non concesserim addendum esse *arbitror, existimo* vel simile; si quid mutandum est, potius omisso *ita* scribe: *nec dedendum solum ad piaculum rupti foederis, sed, si nemo deposceret, devehendum in ultimas maris terrarumque oras, ablegandum eo, unde nec ad nos nomen famaque eius accidere neque ille sollicitare quietae civitatis statum possit, ego censeo: legatos extemplo Romam mittendos* et q. s. *deposcit* ut recte in imperfectum tempus migrare iusserit Luchs, *possit* tamen nescio an habeat quo defendatur.

XXI **11,3.** *interim animos eorum nunc ira in hostes [stimulando], nunc spe praemiorum accendit.*

Rursus non dubitavi gerundium ex mediae aetatis ac fere hodierno italicae linguae more positum Livii sermone excludere, praesertim quo et numeri orationis turbentur et sententia frustra oneretur. nam quod pro testimonio adfertur 44,4 *accendit praeterea et stimulat animos dolor iniuria indignitas,* id ipsum, ut est, sanum, male imitatus est qui hunc quem tractamus locum interpolavit; neque enim quisquam stimulando accendit („anstachelnd entzündet"), oportuit saltem *nunc ira in hostes stimulat* fingi.

XXI 12,4. *Alco insciis Saguntinis, precibus aliquid moturum ratus, cum ad Hannibalem noctu transisset, postquam nihil lacrimae movebant condicionesque tristes ut ab irato auctore ferebantur, transfuga ex oratore factus apud hostem mansit, moriturum adfirmans, qui sub condicionibus iis de pace ageret.*

Omnes *auctore* damnant, *victore* malunt. illud tamen retinendum censeo et facilem explicationem admittere: erat sine dubio Hannibal auctor condicionum, insciis praesertim Saguntinis cum ageret Alco. contra 13,5 recte opponuntur *ut victor fert Hannibal, sic vos ut victi audietis.*

XXI **12,6.** has pacis leges abnuente Alcone accepturos Saguntinos, Alorcus, vinci animos ubi alia vincantur adfirmans, se pacis eius interpretem fore pollicetur.

Nec *alia* placet, futtile sane hoc loco verbum, nec *arma* Gronowii, nedum *tela, ilia,* similia. mihi magis arridet

vinci animos ubi omnia (oīa) *vincantur.*

aliud est 13,5 *cum omnia victoris sint;* confer tamen, si argumenta desideres, 13,6 *urbem fere totam habet,* 13,8 *omnium potestas ei facta.*

XXI 17,8. et duae romanae legiones cum *suo iusto* equitatu.

Usener *iusto* deleri iussit, et tam in simplici narratione quid ambo agant *suo iusto* parum invenio; *suo* tamen potius librariis deberi puto; cfr. X 25,16 *cum exercitu iusto consulari;* XLI 21,4 *cum iusto numero.*

XXI 20,1. *ita nequiquam peragrata Hispania in Galliam transeunt. in iis nova terribilisque species visa est, quod armati — ita mos gentis erat — in concilium venerunt. cum verbis extollentes gloriam virtutemque populi Romani ac magnitudinem imperii petissent, ne Poeno bellum Italiae inferenti per agros urbesque suas transitum darent, tantus cum fremitu risus dicitur ortus, ut vix a magistratibus maioribusque natu iuventus sedaretur. adeo stolida impudensque postulatio visa est [censere], ne in Italiam transmittant Galli bellum; ipsos id avertere in se agrosque suos pro alienis populandos obicere.*

Multa exscripsi, nihil tamen novi ut proferrem. verba *in iis* ad tempus refero, ut solet *inibi;* quare quibusdam multa et incerta volventibus minime adsentior.

Post nisi deleto, ut voluit Gronowius, *censere* non stat sententia. *ipsos id avertere* et q. s. obliqua oratio est mirantium et interrogantium [1]; cui cum a librariis male impositum esset regens verbum censendi, deinde post *visa est* prorsus ineptum locum obtinuit.

---

[1] De Livio interrogationes coniunctivas vitante cfr. librum Fr. Fuegneri, multis rebus praeclarum, qui inscribitur „Livius XXI — XXIII“ (Berolini 1888).

XXI **20,9.** ita peragratis Hispania Gallia populisque legati Romam redeunt haud ita multo post quam consules in provincias profecti erant. civitatem omnem in exspectatione belli erectam invenerunt, satis constante fama iam Hiberum Poenos tramisisse.

Verba optimi codicis Puteani, hoc loco servati, exscripsi nec adfirmaverim ipsius Livii non esse, collatis praesertim quae sunt Cic. prov. consul. 13,33 *quas regiones quasque gentis nullae nobis antea litterae, nulla vox, nulla fama notas fecerat, eas noster imperator nosterque exercitus et populi Romani arma peragrarunt.* P[2] scriptum est *Hispaniae et Galliae populis,* Luchsio praeeunte in editionibus *Hispaniae Galliaeque populis.* verum tam nude posita *peragratis populis* maxime omnium displicent, et elegantius Curtius VI 2, 6,18 *Indos atque ultima orientis peragrare.* itaque aut tradita verba servanda sunt aut ex P[1] reiecto *populisque* asyndeton hac in re haud absonum statuendum:

peragratis Hispania Gallia legati Romam redeunt.

In sequentibus *in,* quod in P est ante *exspectatione,* omittunt; paulo expeditius tamen erit *in exspectationem,* nam et alii et Livius *in spem erigi* dixerunt, et ut *spe,* ita non sola *exspectatione* erigimur.

XXI **21,10.** *inde partiens curas simul in inferendum atque arcendum bellum, ne, dum ipse terrestri per Hispaniam Galliamque itinere Italiam peteret, nuda apertaque Romanis Africa ab Sicilia esset, valido praesidio firmare eam statuit.*

Galliasque ex P[2] edunt, sed quoniam nulla subest causa, cur varietur numerus nominum terrarum, ex P[1] (galliamsque) potius *Galliamque* videtur scribendum esse. concinne et hoc

Livius et 23,2 *fauces quae Hispanias Galliis iungunt;* cfr. 20,1 *peragrata Hispania in Galliam transeunt.*

XXI **27,5.** *ibi raptim caesa materia ratesque fabricatae, in quibus equi [virique] et alia onera traicerentur. Hispani sine ulla mole in utres vestimentis coniectis ipsi caetris superpositis incubantes flumen tranavere, et alius exercitus ratibus iunctis traiectus* et q. s.

Virique, quod tollendum indicavi, hic non dubito quin ex initio capitis *(equites virique)* repetitum sit. inter *equos* et *alia onera* risum paene movet *viri;* et mox *Hispani,* quae maxima erat pars copiarum Hannonis, tranasse flumen dicuntur, *alius exercitus* ratibus traiectus. prorsus recte aliis locis de *equis virisque,* id est *equitibus peditibusque* loquitur Livius, nec inepte alio sensu XXVI 4,8 de iaculis in *equos virosque* passim coniectis.

XXI **30,7.** Alpis quidem habitari, coli, gignere atque alere animantes; pervias faucis esse exercitibus. eos ipsos quos cernant legatos non pinnis sublime elatós Alpis transgressos. ne maiores quidem eorum indigenas, sed advenas Italiae cultores has ipsas Alpis ingentibus saepe agminibus cum liberis ac coniugibus migrantium modo tuto transmisisse. militi quidem armato quid invium aut inexsuperabile esse.

Ex coniectura Heerwageni speciosa *faucis* pro *paucis,* quod est in Puteano, scripsit Luchs; malim saltem *fauces esse pervias exercitibus.* verum etiam sic offendit inter Alpium nomina ter posita faucium mentio inopinata. In recentioribus libris *nec invias esse* additur; veri similius est scribere:

pervias paucis esse, haud invias esse exercitibus,

in quibus et cetera et initia verborum *paucis, haud* neglegentiam librariorum excusant. non statim de exercitibus locutum esse Hannibalem quis negat? et vide quam eleganter duobus illis membris *pervias paucis, haud invias exercitibus* respondeant quae sequuntur: *legatos Alpis transgressos, maiores eorum has ipsas Alpis ingentibus saepe agminibus transmisisse;* tum demum *exercitibus* illud quasi firmatur: *militi quidem armato* etc.

XXI **31**,7. *huius seditionis peropportuna disceptatio cum ad Hannibalem delata esset, arbiter regni factus, quod ea senatus principumque sententia fuerat, imperium maiori restituit.*

Delecta fere meliores codices, deteriores *reiecta;* quod quidem de barbaris et praesente Hannibale dictum praeferrem Woelfflini coniecturae *delegata.* sed ex C^3 M^3 restitui *delata,* quod vix differt a *delecta* et solita addendi potius quam omittendi consuetudine in C^1 M^1 corruptum est.

XXI **31**,9. *sedatis [Hannibal] certaminibus Allobrogum cum iam Alpes peteret, non recta regione iter instituit, sed ad laevam in Tricastinos inflexit.*

Nomen Hannibalis, vel elegantissime collocatum, tamen per se displicet, cum aliud nullum sit oppositum; et, quod gravius est, abest a Mediceo libro, cuius prima saepe manu fidelior servatur archetypi memoria.

XXI **31**,11. nam cum aquae vim vehat ingentem, non tamen navium patiens est, quia nullis coercitus ripis, pluribus si-

mul neque iisdem alveis fluens, nova semper vada novosque gurgites — et ob eadem pediti quoque incerta via est —, ad hoc saxa glareosa volvens nihil stabile nec tutum ingredienti praebet.

Verbis Livii plerique post *gurgites* addunt *gignit,* nihil Weisenborniana editio (octava mihi adest anni 1888). facilius inter *gurgites* atque *et* nescio an *fert* intercidisse putandum sit.

XXI **33,4.** iam montani signo dato ex castellis ad stationem solitam conveniebant, cum repente conspiciunt alios arce occupata sua super caput imminentis, alios via transire hostis. utraque simul obiecta res oculis animisque immobiles parumper eos defixit. deinde ut trepidationem in angustiis suoque ipsum tumultu misceri agmen videre, equis maxime consternatis, quidquid adiecissent ipsi terroris satis ad perniciem fore rati, perversis rupibus iuxta invia ac devia adsueti decurrunt. tum vero simul ab hostibus simul ab iniquitate locorum Poeni oppugnabantur.

Codicum verba corrupta restituere omnium fortasse optime sic voluit Unger: *pervasis rupibus iuxta in vias ac devia adsueti decurrunt.* plurimi *diversis rupibus* edunt, obliti barbaros signo dato ex castellis ad stationem solitam convenisse, nec «diversis rupibus» fuisse dispersos. brevius haec narrat Polybius (III 51) quam ut eius ex verbis erui verum possit. iam vero cum turbato hostium agmine sine dubio praeoccupavisse existimandi sint montani locos superiores, ad quos procedere oporteret Poenos, undique ut hos illi vexarent, ita scribendum esse concicio:

praeversi de rupibus iuxta in viam ac de via adsueti decurrunt.

quibus verbis egregie, ni fallor, depinguntur montani de rupibus superioribus praeoccupatis iam ante Romanorum agmen «in viam» currentes et eodem tempore rursus, «de via» cum desiluerint, ex latere hostes «oppugnantes»; cfr. 34,9 *occursantes per obliqua montani viam insedere.* in archetypo horum codicum facile ex *perversis* fieri potuit *praeversi de,* ex *in viam* item *invia.*

XXI 33,11. castellum inde, quod caput eius regionis erat, viculosque circumiectos capit et captivo † ac pecoribus per triduum exercitum aluit.

Et captivos Polybius et frumentum commemorat; *captivos* igitur scribunt editores, addunt *cibo.* Melius sane summa rei exprimitur omisso post *capit* molesto illo *et captivos* nec addito *cibo;* hoc tamen intercidisse non pernego, quoniam *c* et *b* litteras maxime turbant C et M codices.

XXI **34**,9. *occursantes per obliqua montani rupto medio agmine viam insedere.*

Ex codicum lectionibus (montani erupto, montaniae rapto) *rupto* eliciendum, non *interrupto* tentandum.

XXI **36**,7. per nudam infra glaciem fluentemque tabem liquescentis nivis ingrediebantur. taetra ibi luctatio erat ut a † lubrica glacie non recipiente vestigium.

Ut a illa a Woelfflino, Luchsio, aliis delentur; *via lubrica* Sauppe, reiecto *glacie* veri similius *via lubrica non* scribit

Mueller. contra ego hoc loco servatum, quia facile potest fieri, malim utrumque ita correctum: *uda lubrica glacie.*

XXI **37,5.** quadriduum circa rupem consumptum iumentis prope fame absumptis; nuda enim fere cacumina sunt, et si quid est pabuli obruunt nives. inferiora valles apricosque quosdam colles habent rivosque prope silvas et iam humano cultu digniora loca. ibi iumenta in pabulum missa et quies fessis hominibus data. triduo inde ad planum descensum iam et locis mollioribus et accolarum ingeniis.

Weissenbornii haud improbabilis est coniectura *apricosque*. ex *cosque* nata videntur *quosqam* (C[1]), *quosdam* (M), quod pronomen hic nihil agit. etiam peius est in sequentibus *rivosque prope silvas,* nec multo melius Madvigii *rivosque et prope silvas.* quoniam et «nuda montium cacumina» et antea «immanes arbores» sunt commemorata, iam de perviis silvis agi videtur, quod ad *colles* falso relatum, *PUIOS*, facile pro *RIUOS* habebatur; 61,1 «reditum» pro «peditum» P[1] habet; 61,4 *raefectos* pro *praefectos* ex eodem codice adnotatur. sic igitur scribendum censeo:

inferiora valles apricosque colles habent perviasque prope silvas et iam humano cultu digniora loca.

XXI **38,5.** *Taurini inde Galli proxuma gens erat in Italiam degresso* supra dubitanter conieci; *Taurinis ne Galli* C M.

XXI **40,10.** *reliquias extremas hostis, non hostem habetis. ac nihil magis vereor, quam ne, cum pugnaveritis, Alpes vicisse Hannibalem videantur.*

Ita fere restituuntur Livii verba ex Madvigii sententia, qua mamplexus est Luchs, omisso tamen post *cum* pronomine *vos,* quo facile caremus, si quidem Poeni quoque pugnaturi erant. in archetypo additamentum fuisse puto eius modi: (quam ne cum pugnaveritis, Alpes) nec umquam vos (vicisse Hannibalem videantur), unde exstitisse videntur quae nunc sunt in CM: nec umquam vos cum pugnaveritis Alpes et q. s.

XXI 41,11. licuit ad Erycem clausos ultimo supplicio humanorum fame interficere.

Aut *suppliciorum* scribendum aut *humano,* quod praetulerim; traditam lectionem non idoneis exemplis defendit Weissenborn IV 9,3 *ultima publicorum malorum* et prorsus alieno XXVII 44,8.

XXI **43,9.** tempus est iam opulenta vos ac ditia stipendia facere et magna operae pretia mereri, tantum itineris per tot montes fluminaque et tot armatas gentes emensos.

Operae mirum quantum languet nullo adiectivo ornatum. quare tot et talibus consideratis additamentis librariorum, quae in hoc libro manifesta sunt, non potui quin proponerem ut scriberetur:

tempus est iam opulenta vos ac ditia stipendia, magnae operae pretia, mereri.

XXI **44,6.** circumscribit includitque nos terminis montium fluminumque, quos non excedamus, neque eos, quos statuit, terminos observat. «ne transieris Hiberum, ne quid rei tibi sit cum

Saguntinis [ad Hiberum est Saguntum], nusquam te vestigio moveris!» parum est quod veterrimas provincias meas Siciliam ac Sardiniam ademisti? adimis etiam Hispanias? et inde si decessero, in Africam transcendes. transcendes autem dico? duos consules huius anni, unum in Africam, alterum in Hispaniam miserunt. nihil usquam nobis relictum est, et q. s.

Recte, ut solet, Luchs egit, cum seclusit *ad Hiberum est Saguntum.* nam *at liberum est Saguntum* etiamsi quis commentus est, nihilo minus, immo magis conturbat orationis contextum. additamentum in P est, in recentioribus non est. in eadem vero ratione constans ex iisdem libris quae sequuntur debuit Luchs ita scribere, addita una vocula *iam,* ne ea quidem prorsus necessaria:

Siciliam ac Sardiniam adimit. in Hispanias et, inde si cessero, in Africam transcendet. transcendet autem dico: duos consules huius anni unum in Africam, alterum in Hispaniam iam miserunt.

ita *adimit* et *transcendit* antecedentibus illis *circumscribit, includit, observat* respondent; in sequentibus iam fracta orationis figuratae vi de certa re pluralis numerus ponitur: *miserunt,* sicut antea *depoposcerunt.* contra si ex P[1] et coniectura Heerwageni in textum illata erunt *ademisti, adimis* et q. s., perplexe Livius in Hannibalis oratione tum Romanum tum nescio quem Poenum de alterutro secunda utentem persona inducit, cum paulo ante dux de se ipse prima persona egerit. debentur hae coniecturae verbis *veterrimis provincias meas adimit,* in quibus *meas* illud rettulerunt ad Poenum, quem loquentem fingunt. immo suas Hannibal dixit provincias, sicut omnino in hac cohortatione ad se ipsum plurima refert, ut barbaris gentibus fiduciam imperatoris iniciat. in P codice *adimis* ex *adimit* corruptum nihil singulare habet; cfr. si tanti est *dimissis* P[1], *dimissit* P[2] pro *dimisit* 48,2.

In fine capitis qui aut *fixum* aut *destinatum* sustulerunt, eos sequi non audeo. praeterea ibi coniecturam Mauricii Hauptii *contemptu vitae telum* silentio praeterire non oportuit Luchsium.

XXI **50**,7. ei fretum intranti rex Hiero classem ornatamque obviam duxit.

Quod in P est *ornatamque*, ei adiciunt plerique *armatam* vel aliud simile. itaque etiam nuperrime in Archivo Woelffliniano (VII pag. 302) *instructam armatamque* commendatur, quod ex Liv. XLII 45,7 certa quadam ratione efficiatur. at hoc XXI libri loco *ornatam* ante omnia dici oportuit classem, in qua salutandi et gratulandi causa rex veheretur, armatam et instructam fuisse nihil attinet narrare. et cum saepius in hoc libro *que* perperam additum reprehendas, dubium non videtur quin sic optime scribatur: *rex Hiero classem ornatam obviam duxit.*

XXI **52**,10. sparsos et incompositos, ad hoc gravis praeda plerosque cum inopinato invasissent, ingentem terrorem caedemque ac fugam usque ad castra stationesque hostium fecere; unde multitudine effusa pulsi rursus subsidio suorum proelium restituere (Romani). varia inde pugna sequentesque † cumque ad extremum aequassent certamen maior tamen † hostium Romanos fama victoriae fuit.

Corruptum multis locis verborum contextum ita restituere conatus sum:

varia inde pugna, sequentesque cum Poeni ad extremum aequassent certamen, maior tamen post in Romanos fama victoriae vertit.

reddenda ratio est mutationum. ac primum haec fere requiri videntur: abeuntes tandem proelio, quod commisissent, Romanos a Poenis lacessitos esse, ita demum ab his quamvis multa clade ante vexatis aequatum esse certamen, victores tamen propter illam cladem, quam ad ipsa castra hostium intulissent, postea potius visos esse Romanos. de *vertit,* quod compendio scriptum non multum discrepat a *fuit* et intransitive positum a librariis non facile intellectum est, comparandus est locus multis in rebus huic simillimus, Liv. IX 38,8 *cum anceps caedes fuisset, adversae tamen rei famae in Romanos vertit.* nec violenter *cum que* aperte corruptum in *cum peni, hostium* in *post in* correxisse mihi videor. Luchs *cedentes* Gronowii, *penes* Madvigii in verba Livii intulit, alterum *que* sustulit; priorem sententiae partem talem reddidit, Heusingerum secutus: *sequentes cedentesque cum ad extremum aequassent certamen;* posteriorem nondum sanatam reliquit, additis multis verbis ita refingendam proposuit: *maior tamen hostium numerus quia cecidit, penes Romanos fama victoriae fuit.* alii aliis verbis damna quae opinantur hic esse resarciunt. utrum horum sit an mea sententia probabilior qui legent viderint; in re incertissima nihil adfirmo.

XXI 56,8. itaque nocte insequenti cum praesidium castrorum et quod reliquum ex magna parte militum erat ratibus Trebiam traicerent, aut nihil sensere et q. s.

Luchs *(ex) fuga semermium (magna ex parte militum)* verbis Livii immiscuit; alii aliter, ut fit, lacunam explent, quam hic esse iis persuasit, ut solet, Heerwagen. Tutius mihi visum est levissima mutatione scribere:

quod reliquum ex magno paratu militum erat.

verbum non usitatum in P difficile fuit integrum conservare. *paratu militum et armorum* a Sallustio scriptum esse testatur Gellius II 27,2; Livius quamvis non eodem modo X 41,3 *omnem occulti sacri paratum* dixit, et amici, equitatus, exercitus ab optimo quoque auctore *parari* dicuntur. et ad haec quae conieci tendere videntur quae huic loco vicina sunt, ut 52,1 quicquid Romanarum virium erat; illis copiis defendi posse Romanorum imperium; 53,5 consulares exercitus; 53,7 parari ad certamen milites iubet; 54,6 Sempronius omnem equitatum, sex milia peditum, omnes copias eduxit; 55,4 duodeviginti milia Romana erant et q. s.; 57,2 duobus consularibus exercitibus.

XXI **59**,7. pugna raro magis ulla † ae aut utriusque partis pernicie clarior fuisset, si extendi eam dies in longum spatium sivisset.

Postea cum narret Livius acriorem fuisse concursum quam ipsam caedem et aequatam ferme pugnam et cladem parem et ab neutra parte sescentis plus peditibus et dimidium eius equitum cecidisse, verbis quae antecedunt corruptis apparet scriptorem haec fere voluisse dicere: si longior fuisset dies, parem futuram fuisse perniciem et Romanorum et Poenorum, qua re clarissimam omnium evadere potuisse pugnam. scribendum igitur censeo misso *magis* hoc modo:

pugna raro ulla a e q u a t a utriusque partis pernicie clarior fuisset.

vix quemquam puto negare de a e q u a t a utriusque partis p e r n i c i e potius agi quam de saevitate aut aequa ipsius pugnae sorte, quibus nil sane obstabat temporis brevitas. eam ob rem acquiescendum non statui aliorum inventis: *magis ulla saeva (aequa, dubia) aut.* ex litteris *aequatautri* ante *u* obscurato *a*

facile ortum est *ae aut utri*. librarii vero desiderabant *magis illa*, ex quibus in verba auctoris inculcatis remanebat *magis*.

XXI **62**,5. *et in agro Amiternino multis locis hominum species procul candida veste visas nec cum ullo congressos.* Ita non dubito ex deterioribus codicibus scribere nec, ut voluit Luchs, addere *eos*, quod facile subauditur.

Haec retractanti mihi in aliud denuo tempus condere et reponere in animo fuit, verum, ut ait in vicesimo quinto libro Livius, si in occasionis momento, cuius praetervolat opportunitas, cunctatus paulum fueris, nequiquam mox omissam quaeres.